



ARGUMENTVM LIBRI SEQVENTIS  
PER BEATVM RHENANVM.



Ermogenes Stoicorum opinionem secutus, asserebat materiam semper fuisse, nec initium habentem, nec finem: & deum huic appropin quando cōdidisse mundum: ut rursus uerissimum sit quod hoc libro scribit Tertullianus, Philosophos Patriarchas esse hæreticorum. Contra hunc solidis argumentis disputat, refellens illius rationes, quibus in hanc tentetiam inductus uidebatur: ac ostendens hoc esse p̄aeponere materiā deo, deum uero subiūcere qui de materia cuncta produxerit. De hoc sic scribit in libro de Præscriptionibus hæreticorum. Idem Apostolus, inquit, cum improbat elemētis seruientes, aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducēs, deo non nato eam comparat: & ita matrem elementorum deam faciens, potest ei seruire quam deo cōparat. Hactenus ille. Porro liber est ualde doctus, sed mirū in modum deprauatus. Quædam à nobis sunt restituta, quædam ab alijs auxilio castigatoris alicuius exemplaris reponi poterunt.

Q. SEPTIMII FLOREN  
T I S T E R T U L L I A N I, A D  
V E R S V S H E R M O G E N E M  
L I B E R.



Olemus hæreticis compendij gratia de posteritate p̄ascribere. inquantū enim ueritatis regula prior quæ etiam futuras hæreses renunciauit, intantum posteriores quæq; doctrinæ hæreses p̄auidicabuntur, quia sunt quæ futuræ ueritatis antiquore regula p̄anūciabantur. Hermogenis autem doctrina tam nouella, deniq; ad hodiernū homo in seculo, & natura quoq; hæreticus, etiam turbulentus, qui loquacitate in facundiā existimet, & impudentiam constantiam deparet, & maledicere singulis officiū bonæ constantiæ iudicet. Præterea pingit licite, nubit assidue, legem dei in libidinem defendit, in artem cōtemnit, bis falsarius & cauterio & stilo. totus adulter, & p̄adicationis & carnis. Siquidem & nubetium contagio fœtet: nec ipse apostolicus Hermogenes in regula perseuerauit. Sed uiderit persona, cū doctrina mihi quæstio est: CHRISTVM dominū non alium uidetur aliter cognoscere, alium tamē facit quem aliter cognoscit: imò totum quod est deus aufert, nolens illū ex nihil uniuersa fecisse. A Christianis enim cōuersus ad philosophos, de ecclesia in Academiam & Porticum, inde sumpsit à Stoicis materiam cū domino ponere, quæ & ipsa semper fuerit neq; nata, neq; facta, nec initiū habens

F omnino

philosophi ſunt  
patriarche hære-  
ticorum